

genus revocatur; quin tamen illa discretio eorumdem in alterutram civitatem vel statum obstet, quominus tam *Babylonii* quam *Hierosolymite* ex neutro amore, quo in sua civitate sunt translati, scaturientes volitiones eliciant, et actiones exercent.

*Inst. 1. AUG. L. de Gr. Chr. c. 20. ait: Aliud est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum; tantumque inter se differunt, quantum virtus et vitium. S. LEO. serm. 90. (al. 88.) de jejuniis septimi mensis 3. c. 3. Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur Auctoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia etc. Consentit S. FULGENT. L. 1. ad Mon. c. 18.*

R. Charitatem ab Aug. hic non sumi *strictè* ac *proprie*, sed *late* ac *minus proprie* pro quacumque voluntate bona, ostendunt finis cap. 18. et initium c. 19. *Si duce arbores, bona et mala, duo sunt homines, bonus et malus, quid est bonus homo, nisi voluntatis bonæ, h. e. arbor radicis bonæ? et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, h. e. arbor radicis malæ? fructus autem harum radicum atque arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, et mala de mala. Facit autem homo arborem bonam; quando Dei accipit gratiam etc. Idem responsum etiam applicat Gallie Episcopi, in doc. pastoralis Card. de Rohan, textui S. LEONIS, cum hic serm. 43. (al. 44.) de Quadrag. 7. c. 3. opus moraliter honestum, et serm. 48. (al. 47.) de Quadrag. 10. c. 3. etiam supernaturalem actum sine charitate admittat. Præterea vero in allato textu amor Dei ac mundi potest rite intelligi *habitualis*, quorum ille justis, hic peccatoribus proprius est, et facit habitualiter quiescere in æternis aut terrenis tanquam sine ultimo; voluntas autem accipi, non pro *actu*, sed *potentia*: in qua explicatione nullum quidem inter utrumque amorem, sicut nec inter statum justitiæ aut peccati, admittitur *medium*; non tamen omnis actio ex habituali amore Dei vel mundi procedere debet, sicut nec justis actio omnis bona est, nec peccatoris mala. Atque hæc ultima explicatio maxime convenit textui S. FULGENTII.*

*Inst. 2. S. AUG. L. 9. de Trin. c. 7. et 8. inquit: Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur sive creaturæ sive Creatoris.... ergo aut cupiditate, aut charitate, non quod non sit amanda creatura; sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit: tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem. Simile quid S. GREG. L. 18. Mor. c. 8. (al. c. 9. n. 16.) enūtiat:*

R. Charitatem rursus improprie ab Aug. hic sumi, patet ex amore creatoris tanquam termino cum eadem æquipollente ibidem usurpato: nec omnem amorem creaturæ propter se culpam, sed tantum eum, qui corrumpit fruentem, ex ipsis verbis liquet. Quidnam vero proprie sit frui, docet S. AUG. L. 1. de Doct. Chr. c. 33. n. 27. *Cum adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat: per quam si transieris, eamque ad illud ubi permanendum est, retuleris; uteris ea, et abusive, non proprie diceris frui; si vero inhæseris atque permanseris finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere et proprie frui dicendus es. S. GREG. si sumatur de actuali delectatione,*

intelligendus est de eo, quod passim ac plerumque, non autem absolute semper contingit: si autem, quod contextui sequenti conformius est, loquatur de *habituali* delectatione duplici, pro duplici etiam justorum et peccatorum classe, ex sup. dictis constat inde actionem humanam mediam non excludi. Cæterum ab eodem S. Patre non condemnari omnes actus, qui ex amore benevolenti non procedunt, ex ejus Comment. in L. 1. Reg. c. 12. v. 13.-20. (al. in 1. Reg. L. 5. c. 2. n. 7. c. 10. n. 11. 12.), L. 5. Mor. c. 13. (al. 16. n. 33.) et hom. 27. in Evang. n. 1. liquet.

*Inst. 3. Concilium ARAUS. II. Can. 17. (Labb. t. 4. p. 1670. A.) statuit: Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas; fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris etc; ergo.*

R. Testimonium hoc esse plane impertinens; tum quia ex particulari virtute non valet argumentum ad omnes: tum quia Concilium definitionem hanc ex AUG. L. 1. Op. imperf. mutuatum est, ubi refutatur Julianus fortitudinem patientiæ tam in Christianis quam gentilibus virtuti naturæ tribuens; cum tamen fortitudo Christianorum, nempe *Martyrum*, ex charitate Dei excellentissima proficiscatur, gentilium vero fortitudo in adversis plerumque ex vanæ gloriæ cupiditate ortum duxerit, quamvis id de aliis virtutibus populari auræ minus expositis non adeo universim evenisse dicendum sit.

## ARTICULUS II.

AN OMNIS ACTUS HUMANUS, NE SIT MALUS, DEBEAT SALTEM ESSE  
A CHARITATE IMPERATUS?

298. *Nota 1.* Supponimus hic 1<sup>o</sup>. dari præceptum divinum charitatis erga Deum, quod Christus Matth. 22. 38. tanquam *maximum et primum mandatum* commendat. 2<sup>o</sup>. Præceptum hoc, prout *negativum* est, ac præter odium omnem Dei offensam prohibet, obligare semper: prout *affirmativum* autem est, et actum amoris erga Deum præcipit, non quidem pro semper, sed tamen plus vice simpliciter per se obligare; ut ex propositione inter duas 1. ab ALEX. VIII., et ex propp. 5. 6. et 7. ab INNOC. XI. damnatis constat; ex quibus et aliis principiis Moralistæ tempora quædam determinata pro actu amoris eliciendo, partim certo, partim probabiliter definiunt, quos vide. 3<sup>o</sup>. Præceptum charitatis *affirmativum* obligare etiam hominem, ut seipsum omnesque vitæ suæ actiones referat ad Deum; quia juxta D. THOM. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. *Dicendum, quod sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* 4<sup>o</sup>. Relationis hujus species quatuor assignari. Earum *prima* dicitur *formalis*, consistens in actu voluntatis tam expresso et sensibili, ut homo ipse percipiat seu reflexe cognoscat se referre sua opera ad Deum; *secunda habitualis*, quæ stat in relatione formali præterita et non revocata, ideoque moraliter saltem negative perseverante, eo quod nihil illi contrarium fiat: *tertia* est *virtualis ex parte operantis*, quæ rursus supponit relationem formalem; consistit autem vel in actibus hujus relationis tenuibus ac remissis, vel in quopiam actu alio inde relicto opera relationem formalem

sequentia comitante et ita afficiente, ut verum sit dicere hæc opera in virtute actus formalis præcedentis fieri, quantumvis ad illum non reflectamus: *quarta est virtualis ex parte operis*, quæ in intrinseco ordine actus honesti et virtutis ad Deum consistit; quatenus omnis actus, hoc ipso quod sit honestus, ex natura sua non minus ordinatur ad Deum, quam Deus est omnis honestatis fons et origo. 5º. Concedi a nobis hominem teneri, ut omnia et singula opera in Deum referat relatione tum habituali tum virtuali ex parte operis: *primum* quidem; quia homo, ex dictis, tenetur aliquoties in vita omnia referre formaliter in Deum, nunquam vero licet aliquid illi contrarium facere, eamque sic retractare: *secundum* autem; quia quoties homo deliberate operatur, tenetur operari honesti et debitis cum circumstantiis. 6º. Male a nonnullis confundi nostram questionem cum hac: Utrum actus humanus, ut sit ex omni parte bonus, debeat referri ad Deum? quia tametsi id concederetur, non inde sequitur, debere id fieri ex *imperio* aut *motivo charitatis*; cum præter charitatem etiam actus spei ex proprio motivo Deum attingat, et virtutes morales referre ad Deum sua opera queant. Proin questio sic instituenda est: an omnis actus humanus, ne malus sit, sed omni ex parte bonus, debeat referri ad Deum propter se dilectum, seu ex motivo *amoris benevoli*?

299. *Nota II.* Catholici non pauci, præsertim *Scholæ Augustiniane* addicti, tametsi nobiscum negent omnem actionem humanam ex charitate sive habituali sive actuali necessario esse eliciendam; exigunt tamen ut saltem imperetur a charitate, sive, ut ex motivo amoris benevoli fiat, et referatur ad Deum propter se dilectum. Idem vero, ut se a *Novatoribus* distinctos probent, monent 1º. non exigi a se imperium aut motivum charitatis perfectæ, seu demum habitualis seu actualis dominans et justificans intelligatur; sed volunt sufficere etiam imperium aut motivum charitatis propriæ quidem, sed imperfectæ aut *initialis*; adeoque sufficere relationem ad Deum propter se præcise, licet non super omnia dilectum: 2º. hanc relationem sæpius quidem esse oportere formalem et actualem; satis tamen etiam esse virtutalem *simpliciter* dictam, h. e. ex parte operantis talem: 3º. actionem, nec actualiter nec virtualiter ad Deum propter se dilectum relatam, non semper procedere ex cupiditate, nec intrinsecus in se et officio esse malam; cum spectato fine proximo et principio elicitive, possit sæpius esse honesta et laudabilis: spectata tamen finis ultimi ratione, qua caret, volunt aliquid ei deesse, cujus causa nequeat simpliciter et ex omni parte dici bona; atque hinc hominem sine hujusmodi relatione deliberate operantem *venialiter* saltem delinquere, et peccati omissionis fieri reum.

Sed enim licet *primum* eos forsitan discernere queat a Baii et Quesnelli partibus, minime tamen eos inter et Jansenium distinguere videtur, cujus sententiam æque mitigatam supra exposuimus. Neque vero *secundum* pro discriminis ratione hic afferri potest; cum documento nullo probari queat, a *Novatoribus* illis actualem relationem necessario esse postulatum. Quin Jansenius l. 2. de Stat. nat. lap. c. 20. ita enuntiat: *Hoc autem certissimum est in Augustini sententia....., vel actuali vel virtuali intentione id esse præstandum; virtualis enim intentio in actibus humanis idem facit, quod actualis.* Itaque circa *tertium* duntaxat restat controversia: ubi examinare

juvat, 1º. quidem, an detur præceptum et obligatio agendi semper ex imperio vel motivo charitatis propriæ, et hinc referendi omnes omnino actiones humanas ad Deum propter se dilectum? 2º. an Adversarii id asserentes satis distinguantur a *Novatoribus* damnatis, per discrimen ab iisdem adductum.

300. *Dico I.* Ne actus humanus sit malus, non requiritur ut a charitate saltem imperetur.

*Prob.* Nec datur præceptum, quo homo, saltem *sub veniali* omissionis peccato, teneatur singulas totius vitæ suæ actiones deliberatas in singulis, quæ fiunt, instantibus saltem virtualiter ex parte operantis referre in Deum propter se dilectum. Nec omnes et singulæ actiones, ut ex omni parte bonæ sint, debent respicere motivum saltem extrinsecum *charitatis propriæ*; ergo.

*Prob. 1ª. p.* Præceptum referendi omnes et singulas actiones ad Deum propter se dilectum continetur duntaxat in præcepto *affirmativo* amandi Deum super omnia; quia præter hoc maximum et primum mandatum nullum aliud hanc relationem magis urgens assignari potest: sed præceptum amandi Deum *affirmativum* per se non obligat semper et pro semper; ergo.

*Conf.* Non datur præceptum referendi, actu charitatis theologicæ formali, suas actiones ad Deum propter se dilectum vel singulis diebus semel, vel quovis die sæpius, vel alternis fere ejusdem diei instantibus; quia universim talis præcepti mentio nulla habetur sive in Scriptura sive in Traditione; ergo nec datur præceptum de *virtuali* singularum actionum in singulis instantibus relatione ad Deum propter se dilectum; cum juxta Adversarios relatio virtualis ex parte operantis essentialiter præsupponat relationem formalem in aliquo instante præcedente factam.

*Prob. 2ª. p.* Dantur actus, nempe *spei* et *timoris*, qui ex solo suo motivo vel imperio charitatis sunt liciti, boni et supernaturales; ergo non omnes actus, ne ex aliqua parte mali sint, debent respicere motivum saltem *extrinsecum charitatis*.

*Conf.* Sicut actus charitatis est perfectissimus, nobilissimus et præstantissimus, sic actus *timoris* et *spei* est perfectus, præstans et nobilis; ergo sicut actus charitatis suam præcellentiam habet ex motivo sibi proprio, sic et actus *timoris* et *spei* ex motivis suis suam perfectionem positivam obtinent, adeoque ut sint boni simpliciter et perfecti, non exigunt motivum extrinsecum charitatis. *Antecedens* patet ex S. Scriptura cit. et ex infinitis Patrum testimoniis, quorum quædam brevitate gratia duntaxat hic recitamus.

S. GREG. NAZ. OP. 40. n. 13. inquit: *Tres enim eorum, qui salutem consequuntur, classes esse scio, servorum videlicet, mercenariorum et filiorum: si servus es, plagas metue: si mercenarius, mercedem duntaxat specta: sin autem supra hos assurgis ac filius es, ut patrem reverere.*

S. GREG. NYSS. hom. 4. in Cant. (opp. t. 1. p. 473. A.) ait: *Qui vult omnes esse salvos, et venire ad agnitionem veritatis, ostendit hic perfectissimum et beatum modum salutis, eum dico qui fit per charitatem: nam nonnullis fit etiam salus per timorem, quando intuentes ad minas supplicii gehennæ, separantur a malo: sunt etiam aliqui, qui propter spem mercedis repositam eis*

qui pie vixerint, se recte et ex virtute gerunt, non charitate bonum possidentes, sed expectatione remunerationis.

S. BASILIUS PROEM. in regul. fusius tract. n. 3. (opp. t. 2. p. 329. E.) ita loquitur: *In summa autem tria hæc ego video animi discrimina, quibus, ex inevitabili quadam necessitate, ad obediendum compellimur. Aut enim supplicii metu a malo declinamus, versamurque in affectu servili; aut mercedis fructus requirentes, ob nostram ipsorum utilitatem mandata explemus, et hoc pacto mercenariis efficimur similes; aut ob ipsum honestum, charitatemque erga Legislatorem nostrum..... et ita demum ut filii afficimur. Neque igitur is qui timore perficit mandata, semperque desideria penam suspectam habet, alia quidem quæ sibi præcepta fuerint, exsequetur, alia vero negliget; sed omnis inobedientiæ vindictam sibi ex æquo metuendam suspicabitur. Et idcirco beatus prædicatur qui veretur omnia ob metum..... qui scilicet nihil eorum quæ ad officium pertineant, prætermittere velit..... Imo ne mercenarius quidem quidquam eorum quæ præscripta sint, violare volet. Quomodo enim præmium feret ob vineæ culturam, si pacta omnia non servaverit? Etenim si vel unum ex iis quæ necessaria exstiterint, defuerit, inutilem ipsam possessori reddiderit.*

S. MAXIMUS L. de Mystag. c. 24. (opp. t. 2. p. 523.) hæc de DION. AREOP.: *Fideles virtuti deditos ac scientiam colentes vocabat..... servos, mercenarios, filios, tres nempe ordines eorum, qui salute donantur. Servi enim sunt fideles, qui minarum metu Domini mandata implent..... Mercenarii autem, qui bonorum promissorum cupiditate illecti, cum patientia pondus diei et æstum portant..... Filii denique, qui neque minarum metu neque promissorum cupiditate, sed modo illo ac habitu, quo in bonum honestumque propensa animi voluntate tendant, a Deo nunquam separantur, velut filius ille, ad quem dictum est: Fili! tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.*

Prob. utr. p. Ex contraria assertione sequuntur oppido falsa et alias jam damnata.

1<sup>um</sup>. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet; quia sine gratiæ adiutorio, juxta Adversarios, non habetur imperium vel motivum charitatis; sine imperio vel motivo charitatis autem nulla actio a peccato saltem veniali et omissione immunis: sed illud in prop. 27. Bani est damnatum.

2<sup>um</sup>. Necesse est infidelem in omni opere peccare; quia infidelis sicut Deum verum non cognoscit, sic nec amare eum aut sua opera ad illum referre potest, adeoque ex defectu hujus relationis necessario peccat: sed hæc est prop. 8. ab ALEX. VIII. damnata.

3<sup>um</sup>. Eum non carere vitio, quisquis et quoties æternæ mercedis aut beatitudinis intuitu operatur, si charitate caruerit: sed hoc rursus ab eodem Summo Pontifice in prop. 13. est damnatum.

4<sup>um</sup>. Peccare eum, et si peccator fuerit, fieri magis peccatorem, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem sine ullo ad Deum offensum respectu; quandoquidem jam ex solo defectu legitimi finis per charitatem intenti timor est venialiter peccaminosus: sed prius in prop. 9. ALEX. VIII., posterius TRID. Sess. 14. cap. 4. et Sess. 6. can. 8. damnavit; ergo.

Conf. Non minus ex opposito dogmate sequuntur contradictoria. Nam juxta Adversarios 1. sufficit imperium charitatis duntaxat imperfectæ, et

tamen juxta eosdem requiritur etiam charitas perfecta, quia requiritur charitas talis, quæ omnes omnino actiones semper referat in Deum propter se dilectum: sed charitas hujusmodi est amor Dei super omnia, hic autem est charitas perfecta; ergo. 2. Defectus relationis ad Deum propter se dilectum est peccatum duntaxat veniale omissionis, juxta Adversarios; et etiam est peccatum mortale, ut probatur; nam ommissio amoris Dei, ubi præceptum obligat, v. g. in articulo mortis, juxta omnes est mortale crimen: sed ommissio relationis est ommissio amoris Dei, ubi præceptum obligat; quia sub amoris præcepto continetur præceptum relationis, et hoc semper obligat; ergo. 3. Sequitur sufficere relationem virtuales, ut supponitur; et non sufficere, quia actualis requiritur; cum partim alternis fere instantibus actualem relationem de die innovari oporteat; partim præceptum, in quo actualis relatio ab Adversariis fundatur, actualem relationem exigit, sicut actum charitatis formalem imperat.

301. Dico II. Auctores Catholici, imperium charitatis ad quemlibet actum deliberatum a peccato immunem postulantes, non satis a Novatoribus se distinguere videntur.

Prob. rejiciendo discrimina ab illis reddi solita.

1<sup>um</sup>. Discrimen est, quod Novatores statuunt actionem a charitate nec ortam nec imperatam esse reipsa peccatum et nominari peccatum; Catholici autem concedant quidem hominem ea actione peccare, ipsam tamen actionem in se peccatum non esse. Sed hoc 1<sup>o</sup>. est vanum; tum quia parum refert utrum aliqua actio per se dicatur, aut non dicatur peccatum, si conveniatur in eo quod actione hujusmodi homo reddatur culpabilis et pœna dignus: tum quia non minus damnati sunt ab ALEX. VIII., qui dixerunt, *infidelem in omni opere peccare, vel revera peccare eum, qui odio habet peccatum, mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali, sine ulla ad Deum offensum respectu; quam illi qui dixerunt, omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, esse peccatum, vel intentionem qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cælestem gloriam obtineat, non esse rectam nec Deo placentem.*

2<sup>o</sup>. Hoc etiam falsum est; tum ex Adversariorum principiis, qui nullam actionem deliberatam in individuo indifferentem admittunt, ejusmodi tamen actionem ad Deum non relatam nolunt fateri bonam: tum ex eo quod, sicut vitiosa est actio quæ in turpem finem refertur, quia repugnat præcepto negativo; sic etiam peccaminosa fit actio quæ non refertur ad Deum, siquidem detur præceptum affirmativum illuc omnes actiones referendi; propterea quod opus tam vitietur ex defectu finis præcepti quem habere debet, quam ex fine prohibito quem debet non habere, cum utrobique divinum violetur præceptum.

2<sup>um</sup>. Discrimen est, quod Novatores dicant opera honesta defectu relationis intrinsece vitia; Catholici autem id negent. Sed enim 1<sup>o</sup>. si per opera honesta intrinsece vitia intelligatur, actionem quoad speciem seu officium esse malam, affingitur Novatoribus falsum; cum hi contrarium aperte doceant. Lutherus enim in resol. contr. Conclus. Eckianas sic ait: *Quis enim dubitat, quin meretric tam bonum aurum gestet, quam pudica matrona, et tam formosa etiam membra habeat? sed non tam bene gestat et utitur. Eodem modo bona*

illa opera sapientiae, virtutum, donorum, cum sint gratuita dona Dei, bona sunt valde; sed quia non in finem debitum referuntur, bona faciunt, sed non bene. Calvin. L. 3. Inst. c. 14. §. 2. et 3. : Non inficior esse dona Dei, quaecumque in incredulis apparent egregiae dotes... sed quia scopum non respiciunt, quem Dei sapientia praescribit : tametsi officio bonum videtur quod agunt, sine tamen perverso peccatum est. Baius L. 2. de Virt. impior. postquam cap. 2. sic inscripserat : Quod aliud sit disserere de virtutibus quam de virtutum officiis, in ipso autem cap. asseruerat : Non itaque de officiis mihi questio est, quae aliqua ex parte post lapsum in natura humana remanserunt integra, sed de virtutibus, quae etiam finibus distinguuntur a vitiis ; tandem, cur omnia impiorum opera sint vera peccata, rationem dat in cap. 4. cujus ista est epigraphe : Quod honestatis officia, cum in Deum non referuntur, non sint virtutes sed vitia. Jansenius tandem L. 4. de Stat. nat. laps. c. 5. ita scribit : Bona ergo fuit ista continentia, sicut et non occidere, non adulterari, misereri pauperis, mutuum dare, et huiusmodi sine fine officia bona sunt, etiam tunc quando non bene fiunt ab hominibus malis : recti enim finis absentia non facit, ut ipsum officium in se spectatum non sit bonum.

2<sup>o</sup>. Si per opera honesta intrinsece non vitiosa intelligatur, actionem in individuo non esse malam, Adversarii ipsi assumunt sibi aliquod falsum. Quamvis enim actio quoad speciem sit bona, si tamen careat fine suo debito, hoc ipso est mala in individuo, ut, praeter dicta in superiore discrimine, patet tum ex auctoritate S. AUG., qui L. 4. cont Julian. c. 3. n. 24. ait : Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto sine peccatum est; et S. THOMAE, qui 1. 2. q. 18. a. 9. in 9. ait : Oportet quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali : tum ex ratione, quae instar axiomatis recepta est in scholis, quod sicut bonum est ex integra causa, ita malum ex quolibet defectu.

3<sup>um</sup>. Discrimen est, quod Novatores asserant, actionem in Deum non relatum oriri ex vitiosa cupiditate; Catholici autem id negent: sed Catholici vel negant hoc sine fundamento, vel illud negando nihil amplius aut minus docent quam Novatores. Prius sic ostenditur. 1<sup>o</sup>. Actus in individuo malus non oritur nisi ex principio malo; cum effectus causam et actus principium ex sua qualitate prodat: sed actio in Deum non relata est actus in individuo malus, ut nuper probatum est; ergo oritur a principio malo seu ex vitiosa cupiditate.

2<sup>o</sup>. Omnis actus deliberatus in individuo habet finem individualiter vel bonum vel malum, quia sine fine aliquo determinato actio determinata non fit; et sicut non datur, juxta Adversarios, actus individualis indifferens, sic nec finis individualis: sed actus ad Deum non relatus non habet finem individualement bonum, quia ab Adversariis incusatur defectus et absentia finis debiti; ergo habet finem individualement malum. Atqui actus respiciens finem malum non a virtute sed a cupiditate vitiosa tantum oriri potest, cum virtutes a vitiis non semper officiis, sed finibus discernantur; ergo.

3<sup>o</sup>. Ex Adversariorum sententia actus a charitate nec elicitus nec imperatus

inhæret creaturæ ut fini ultimo; cum homo sistendo aut in honestate creata aut in amore proprio, nec ad Deum positive pergendo, dicatur peccare: sed actus inhærens creaturæ ut fini ultimo aliunde ortum non habet quam a cupiditate vitiosa; ergo.

Posterius sequitur ex hactenus dictis: vel enim Catholici negant actum ad Deum non relatum oriri ex vitiosa cupiditate, quia quoad substantiam seu speciem et officium manet adhuc honestus; sed hoc ipsum asserunt Novatores: vel quia absentia finis extrinseci est tantum defectus operantis, non autem operis; sed praeterquam quod hæc exceptio sit falsa, ipsi etiam Novatores hac phrasi uti sunt. Luther. enim l. c. ait: Quia non in finem debitum referuntur, bona faciunt, sed non bene. Calvin. autem §. 3. cit. addit: Constituit igitur Augustinus omnes Fabricios, Scipiones et Catones in illis suis præclaris facinoribus hoc peccasse, quod, cum fidei luce carerent, non ad eum finem retulerunt, ad quem referre debuerunt; Baius vero in Libris de Virtut. impior., et Jansen. in L. 4. de Statu nat. lapsæ, tametsi contendat opera impiorum et infidelium esse vera et propria peccata; tamen id non aliunde conantur evincere, quam quod homines illi peccent omitendo finem debitum, ad quem omnes actiones referre oportet. Vel denique quia inter cupiditatem malam et charitatem agnoscunt principium actionum medium; sed enim si hoc intelligatur tum de charitate sive eliciente sive imperante, tum de actionibus individualibus, falsum esse apparet ex hactenus probatis: si autem accipiatur de charitate præcise eliciente, et de actione secundum speciem spectata, verum quidem est, non autem a Novatorum sententia alienum; siquidem et juxta hos sufficiat actionem ex officio honestam fieri ex motivo vel imperio charitatis, aut referri in Deum propter se dilectum, quin ubique aut actualis charitas aut relatio formalis exigatur.

302. Obj. I. cont. 1<sup>um</sup>. Præceptum charitatis Deut. 6. et Matth. 22. est generale, juxta S. AUG. L. de Perf. just. c. 5. Generatis prohibitio est, Non concupisces; et generalis jussio, Diliges: juxta S. THOM. 2. 2. q. 23. a. 4. ad 2: Charitas se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii extendit; et quia ex dictis continet præceptum omnes omnino vitæ actiones referendi ad Deum dilectum propter se; ergo reliqua omnia præcepta implenda sunt ex motivo charitatis.

R. 1<sup>o</sup>. Id etiam contra Adversarios probat nimium. Nam certum est quod præceptum charitatis in Scriptura propositum exigat amorem formalem Dei et quidem super omnia dilecti: si vero esset generale et obligaret pro semper, non sufficeret initialis amor et charitas Dei præcise propter se dilecti, nec relatio virtualis duntaxat.

R. 2<sup>o</sup>. N. A. S. THOM. enim 2. 2. q. 23. a. 4. charitatem statuit esse specialem virtutem: sed charitas nequit esse virtus specialis, quin ejus præceptum etiam sit speciale et particulare.

R. 3<sup>o</sup>. D. A. Præceptum charitatis negativum est generale C. præceptum charitatis affirmativum N. vel subd. est generale quoad obligationem pro semper urgentem N. quoad finem et perfectionem omnium præceptorum C. Præceptum charitatis, quatenus negativum, non tantum Dei odium sed omne charitati divinæ contrarium prohibet; et quia transgressio cujuscumque præcepti contraria est charitati, utpote quam destruit vel imminuit; omnem